rogarier, eius ea lege nihilum rogatum. Quid est quod ius non sit, quod populus iubere aut vetare non possit? Ut ne longius abeam, declarat ista adscriptio esse aliquid. Vidit Lambinus legendum esse: *quod rogari ius non sit.* Tum responsum: est aliquid, facit ut suspicemur rogatum esse: *Ecquid est quod rogari ius non sit?*

Ἐσχατόγηρως CORRUPTUM. Ἐσχατογηροῦν VERBUM NIHILI.

Apud Graecos argenteae aetatis pro *γέρων εἰς τὸ ἔσχατον* saepe *ἐσχατόγηρως* legitur. Videtur ea forma procedente tempore in desuetudinem abiisse, unde factum est ut librarii sequiorum temporum vocabulum sibi inusitatum et incognitum variis modis corrumperent. Attulit huius rei exempla quaedam Dindorfius ad Steph. Thes. in v. Eiusdemmodi vitium Stobaei libros omnes obsidet in Floril. 10, 62. ubi legitur: *Σιμωνίδης ἐρωτηθεὶς διὰ τί ἐσχάτου γήρως ὢν φιλάργυρος εἴη*, sed legendum esse vides *ἐσχατόγηρως ὤν*. Multo etiam foedius peccatum est in Papyro Taurinensi apud Peyron. Part. I. p. 40, 29. unde Hasius Stephani Thesauro inseruit formam: Ἐσχατογηρόω ex his verbis sumtam: *προβεβηκότος ἤδη τοῖς ἔτεσιν καὶ ἐσχατογηρώσοντος*, id est, ipso interprete: *quum sit in extremam senectutem* brevi *delapsurus.* Quo minus sit absurda sententia etiam furtim additum *brevi* prohibere non potest: sed verbum ipsum *ἐσχατογηροῦν* istiusmodi est, ut Hasium, qui hanc formam Graecam esse serio credidit, aliquid traxisse credam ex Burnovio, cuius *ἀπαιδευσίαν* in Graecis Litteris non satis animadvertisse videtur. Equidem illi lubenter Dubnerum, communem amicum, iudicem fero, ni legendum sit *καὶ ἐσχατόγηρω ὄντος*, et verbum nihili cum aliis quibusdam eiusdem farinae, quae Stephani editionem Parisiensem commaculant, e Graecitatis gaza sit eliminandum.

C. G. C.